

Prophetiis, tanquam indubiis Dei oraculis; quia non fluxerint ex proprio hominum motu. Hæc Hemmingius & Marloratus; quam explicationem cum antecedentibus & consequentibus optimè quadrare, ex iis, quæ jamjam dicturi sumus, etiam liquidò patebit. Tertiò vocabulum *ἐπινοίας* explicationis, non hic forsan denotare, investigationem & indicationem veri sensus, in quâ S. Librorum Commentatores occupati sunt; sed interpretationem, quam tanquam Dei legati, & divinorum eloquiorum promicondi Prophetæ in suis proponendis Prophetiis adhibuerunt, quibus humano generi, non suas opiniones, ac sui cerebri figmenta, sed omnipotentis consilia, non quod proprius dictavit animus, sed Dei suggestit spiritus, prædicârunt ac notum fecerunt. Atque hanc hõc in locò esse hujus vocis notationem, ex totò Apostoli contextu satis apparet: Dixerat enim suprâ vers. 16. *Se, non arte compositas fabulas secutum, notam fecisse Domini nostri Jesu Christi potentiam & adventum: sed ut qui oculis suis aspexerat illius majestatem: & vocem, illius honorem & gloriam testantem, è cælò delatam audiverat; & habebat firmissimum sermonem propheticum, de Christi nempe adventu, potentiâ, majestate, &c. cujus firmitatem & certitudinem probat ex cõ, quod nulla Prophetia Scripturæ est propriæ explicationis, hoc est, ex humanò Prophetarum cerebro, quod erroribus & hallucinationibus est obnoxium, profecta, quemadmodum ipse declarat & confirmat subjungens, Non enim libidine hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu sanctò loquuti sunt sancti Dei homines. Unde etiam Cajetanus in hunc locum: Inter scriptas, inquit, scientias, & scriptas Prophetias differentiam tangit: penes hoc, quod vir doctus ea, quæ in lumine intellectus agentis apparent, juxta propriam interpretationem, & docet, & scribit: Propheta autem ea, quæ sibi sub lumine divinæ revelationis apparent, non secundum proprii judicii interpretationem & dicit & scribit. A quibus non abludit Venerabilis Beda, cum hunc in locum sic commentatur. Nullus Prophetarum Sanctorum propriâ suâ interpretatione populis dogmata vitæ prædicavit; sed quæ à Dominò didicerant, hæc suis auditoribus agenda commendabant: quæque in secretò cælestia arcana perceperant, hæc simpliciter vel loquendò vel scribendò Dei plebi tradebant: & non sicut gentium divini, qui quæ ipsi de corde suò finxerant, hæc turbis deceptorum, quasi divini oraouli consulta, proferebant. Nec Erasmus in Annotat. in Novum Testament. hõc loc. Græca vox (*ἐπινοίας*) dicta est à solvendò, quod convenit rebus intricatis: vel ab adeundò, quod magis congruit his, quæ sequuntur. Non enim ipsi suapte voluntate aggressi sunt edere Prophetias, sed impulsu Spiritus sunt aggressi. Neque Dionys. Carthusianus in hunc locum, cum scribit. Omnis Prophetia Scripturæ, id est omnis Prophetia in S. Scripturâ contenta, propriâ interpretatione non fit, id est, humanâ adinventionem non patuit, nec sensu proprio Prophetarum inventa est.*

Si